



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1709. usque ad annum 1714

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1782**

**VD18 90119266**

§. 6. Nova vexatio Turnonio Cardinalis epistolam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67615](#)

Sæc. XVIII  
A. C. 1709

dignitatem, Missioni Apostolicæ, qua fungeretur, unice debere, atque in acceptis referre. His porro rite peractis cuncti neo-inaugurato Cardinali, atque in ipso Romanæ Ecclesiæ obedientiam præstiterunt: ipse vero Cardinalis datis literis grates retulit Pontifici, qui eidem die vigesima secunda Augusti anno sequenti respondens, illum ad fortiter tolerandas adversitates hor-tatus est.

§. VI.

*Nova vexatio Turnonio Cardinali intentata.*

Relat. ab  
rege l. c.  
Fattinell.  
l. c.

Attamen Sacra hæc Purpura verius erat baltheum, quo pro laborioso conflictu accingeretur, quam vestimentum jucunditatis, quo encæniatus sibi de firmata munera sui auctoritate gratularetur: Ipsemet hoc insigne respiciebat tanquam funestum ac ferale labarum, quo intentandæ paulopost vexationes semper magis acerbæ, ad vivum repræsentarentur: Harum vero ansam inde arripuerunt ejus hostes; postquam enim Sinensium Imperator omnes Missionarios, qui Sinensium rituum observantiam execrabantur, ex Sinis exulare jufferat, quinque Dominicani unacum quodam Sacerdote Manila

Sæc. XVIII.  
A. C. 1709.

nila oriundo in suum quisque Regnum na-  
vigo remeare cogebantur: verum Macao-  
nensis civitatis Ministri, unacum Man-  
darino hujus ditionis Præfecto fortiter  
restitere, petentes, ut una omnes na-  
vigo Goano sese committerent, quod  
tamen in Regna Hispaniarum Regi sub-  
jecta excursurum non erat: eapropter  
necessitate coacti, ad quamdam Eccle-  
siam B. Virginis de rupe dictam, atque  
in colle sitam, quæ olim erat Patrum  
Augustinianorum, tum autem non nisi  
a Sinensi quodam Sene, ejusque con-  
juge incolebatur, consugerunt, ibidem  
quiete usque ad exitum Mensis Decem-  
bris, quo naves portu solvere solent,  
subsistentes. Tum vero iterato tam a  
Capitaneo, quam ab Episcopo, ejus-  
que Vicario hanc Ecclesiam deserere,  
atque in patriam redire sollicitabantur.  
Hi vero ad Missiones suas revertendi  
spe incitati, in angulis Ecclesiae sese  
occultarunt: die autem sancto Joanni  
Evangelistæ Sacra Curiæ Ecclesiasticæ  
& civitatis Ministri unacum militum  
caterva, ut inde exirent, ac navigio  
Maderaspatanum versus contenderent,  
Missionariis præceperunt, his vero fo-  
res occidentibus milites consensibus Ec-  
clesiae muris Missionarios Sacris vesti-  
bus induitos invenerunt, eisdem præ-  
cipientes, ut morem gererent, secus

aut

Sæc. XVII aut fame necandi aut vi ad naves ra-  
A.C. 1709 ptandi. Attamen his minis haud ter-  
riti, a militibus undique cincti, per  
tres integros dies propediem obside-  
bantur. Vetus Vicarius, ne illis an-  
nona, & nequidem aquæ gutta inferre-  
tur; cum vero Capitaneus contra quin-  
que pauperculos atque inermes Mona-  
chos majorem vim adhibere, indeco-  
rum censeret, milites suos abire jussit,  
atque in vulgus sparsit, hosce Missio-  
narios stationem suam deserere, a Man-  
darinis prohiberi: nec tamen diu hac  
tranquillitate potiebantur; impellen-  
tibus enim Cardinalis hostibus die quinta  
Maij Capitaneus denuo hanc Ecclesiam  
cum militibus suis tam arce cinxit, ut  
ægre a Sinensibus domesticis per mu-  
rum panis frusta in Missionariorum su-  
stentationem quandoque injici possent:  
postquam autem hi famuli non raro du-  
ris verberibus abacti fuerant, & Mis-  
sionarii per viginti & unum dies omni  
calamitatum genere confecti erant, ex-  
trema necessitate compulsi Ecclesiam  
militibus cesserunt. Ergo ad quoddam  
Ordinis sui monasterium, quod intra  
civitatem Dominicani natione Lusitani  
incolebant, se recipiunt, Manilanam  
navim præstolaturi: ast ibi etiam haud  
absimili violentia obseSSI, post innume-  
ras miserias & opprobria inde ejecti,

nil

nil reliquum habebant, quam ut ad Sæc. XVIII.  
Cardinalem Turnonium, ad cuius A.C. 1709<sup>a</sup>  
des sublatis excubitoribus liber tum  
patebat accessus, tanquam ad ultí-  
mum extremæ necessitatis portum con-  
fugerent. Hos ergo Cardinalis sum-  
ma, quæ tam benignum Patrem dece-  
bat, charitate velut pro fide exules  
excepit, ne suis oculis in publica pla-  
tea pereuntes cernere cogeretur, cum  
palam in urbe promulgatum, prohibi-  
tumque esset, ne illos ullus hospitio ex-  
ciperet, aut domum eis locaret. Hinc  
autem illæ Turnonii ærumnæ, illæ  
hostium querelæ, iniquitatis commen-  
ta? Rituum enim Patronimox progra-  
vissimo habebant piaculo, quod hisce  
desolatis Pontificiæ decisionis Defenso-  
ribus Turnonius eorum Superior refu-  
gium concessisset. Quæ & quam acer-  
ba Cardinalis propter hoc pietatis offi-  
cium usque ad mortem perpeti coactus  
fuerit, ad anni sequentis Historiam dif-  
ferimus. Interim tamen nec hac ca-  
lumniæ contenti erant Turnonii hostes,  
sed insuper apud Gallicum Senatum Pon-  
tischeriensem Meliaporensis Episcopus  
instabat, ut hic Senatus Mense Septem-  
bri anni prioris sententiam promulga-  
ret, vi cuius Turnonio omnis Juris-  
dictionis ac facultatis sibi a Papa con-  
cessæ usus interdicebatur. Verum Tur-  
nonius

Sæc. XVIII. nonius hoc anno die decima nona Octo-  
 A. C. 1709 bris sub interdicti poena hunc Senatum  
 ad abrogandam hanc sententiam hor-  
 tabatur, propterea a Papa die decima  
 quarta Martii Anno 1711. commenda-  
 tus, a suis vero hostibus eo durius ha-  
 bitus.

§. VII.  
*Pontificis responsum ad Turnonii  
 Cardinalis epistolam.*

*Epist. Clem.  
 XI. p. 533.* Nondum Romæ innotuerant acerbiores contumeliæ, & surentes vexationum tempestates, quibus Turnonius Cardinalis per integrum ferme biennium a rituum damnatorum Assertoribus obruebatur; ex literis tandem ejusdem Cardinalis Pontifex de prospero ejus ad Sinarum Imperium adventu, & subsequente Imperatoris indignatione certior factus, hoc anno die secunda Martii datis ad eum literis dolorem suum testabatur, eoquod comperisset, præfati Imperatoris gratiam usque adeo erga illum imminutam fuisse, ut ipse, num vere Sacræ Sedis Administer esset, dubitare se declararit, subiratumque animum aliis etiam non obscuris indicis patefecerit: suum tamen mærorem levatum fuisse rescripsit Pontifex, eoquod id sine ipsius Cardinalis culpa